

A. III. 10 Q

DE

IN VOLVNTARIO ET CONTI-
NVO LOTII STILLICIDIO,
PECVLIAREM OB CAVSAM
NOTABILI,

OBSERVATIO ANATOMICO-PRACTICA,

QVA SIMVL

NOBILISSIMOS DOMINOS COMMILITONES
AD AVDIENDAS DEMONSTRATIONES ANATOMICAS
OFFICIOSAE INVITAT

IOANNES GOTTLIEB ERHARD,
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD. ET IN THEATRO ANATOM.
PROSECTOR.



ERFORDIAE.

EX OFFICINA HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYP.

MDCCLXXX.

INVENTATI ET CON-
NUO TOTI SITICD
RECAUTEM TO GAVAN
NODA

PERSEVERANTIA MORTALIS

NON VITIOSUS HOMINES CONVIVANT

ET NON VITIOSUS HOMINES CONVIVANT

DOMINI GOTTI ET

NON VITIOSUS HOMINES CONVIVANT

SACRA

NON VITIOSUS HOMINES CONVIVANT



§. I.

Multiplici usui, quem cadaverum humanorum dissektioni medico & naturae scrutatori subministrat, ille praesertim accensendus est, quod huius ope genuina sedes, verae causae & effectus multorum morborum detecti sint, imo adhuc detegantur, quæ alioquin certe nobis ignoti essent & manerent. Celeberrimi itaque anatomici & medici hac anatomiae utilitate convicti iam pluribus eiusmodi observationum thesauris nos donarunt, quorum ope multorum morborum naturam & genium rectius atque accuratius quam antea explicare, consequenter etiam expeditiorem & efficaciem medendi methodum concinnare possumus. Nobilis igitur est finis anatomiae practicæ, qui consistit in conservatione generis humani, & magna est eius utilitas & emolumenntm, quum medicinam exquisitiori morborum cognitio.

A 2

cognitio

4

cognitione locupletaverit. Viri itaque, qui nullo fastidio deterriti, quod foetidum cadaver timidis tantum & infirmis animis excitare potest, observationes instituebant illasque in proximorum & posterorum commodum publici iuris faciebant, qui magni HARVÆ exemplo naturam tamdiu periculis tentabant, tamdiu disquisitionibus anatomicis exercebant, usque dum veritatem ab illa extorquerent, perpetuum sibi fundarunt monumentum & ob beneficia hac eorum opera generi humano ab illis tributa maximas merentur gratias.

S. II.

Iam vero quum tantam istiusmodi observationum copiam possideamus, nonne hodie aut in posterum sectionibus pathologicis supersedere possemus? Minime credas, quod hac in re non plus ultra illud omnis cognitionis humanæ iam assecuti simus, quod nihil amplius detegendum aut ordinandum seu corrigendum restet. Structura enim corporis nostri adeo artificialis atque composita est, ideoque partes eius eo magis permultis diversisque vitiis atque defectibus obnoxiae sunt, ut semper adhuc novæ veritates in hoc medicinæ campo detegendæ nobis relictæ sint, id quod diligentes & scitu cupidi incisores etiamnum quotidie experiuntur. Adhæc bene etiam novimus, quoties & quantopere ingenium humanum erret, si imprimis præiudiciis & hypothesibus captum tales occupationes aggreditur: quam multimodis quoque partibus quodlibet objectum considerari queat,

queat, & quam diverse saepe representationes scrutatoris & observatoris modificantur sint, ut inde necessario contradicatio aut opinionum varietas resultare debeat. Manus itaque proprias opere admovere sapienter necesse est, ut antecessorum observationes, aut confirmemus, aut corrigamus, vel in ipsis etiam rebus, quas saepe iam inquisiverunt magni nominis viri, non minus novas veritates inveniamus. Nonne haec in lucro ponenda sunt?

§. III.

Obiter tantum utilitatis mentionem faciam, quam cadaverum morbosorum disquisitio Physiologiae praestitit; quot arduis veritatibus haec medicina pars inde aucta & locupletata est? Multarum corporis humani partium usus & actiones certe nobis hucusque adhuc incognitae essent, nisi vitiosa partium conditio de vera illarum utilitate nos certiores fecisset. An vero hucusque in hac scientia ad absolutum certitudinis gradum ascendimus? minime. Anatomia itaque practica in hac doctrina utilitatem suam hodie etiam nondum perdidit,

§. IV.

Tandem quum Anatome per se nostris diebus ingentes fecerit progressus, & anatomicorum recentiorum laboribus tot novis inventis ditata sit, non potest fieri, quin inventa haec etiam in Pathologia prospectus novos exhibeant

A &

& hoc modo ad sectiones pathologicas magnum habeant momentum; illa enim nos cogunt & impellunt, ut magnam harum copiam repetamus, quum occasionem præbere possint, hic etiam novas veritates inveniendi aut iam inventas longe alio respectu considerandi. Ut taceam de incredibilibus saepe aberrationibus partium a consueta & naturali constructione, quas incisorum culter nonnunquam in hominum cadaveribus ratione situs, numeri, magnitudinis, defectus aut excessus partium animadvertere potest, quæ saepenumero rem antea difficultem intellectu, aut dubiam, aut prorsus falsam ex insperato solvunt & illustrant.

§. V.

Ex dictis itaque patet utilitas & præstantia anatomiae pathologicæ adhuc consistens, & allata momenta iam ad illam commendandam & excolendam sufficere possent. Sed nonnemo medicorum practicorum nihilominus mihi obiciat: et si eiusmodi dissectiones in illis casibus prodesse possunt, ubi plane singularem, aut adhuc incognitam morbi & mortis causam suspicamur; non tamen video, quid fructus inde capiam, si causa morbi & mortis mihi iam nota est, aut morbus solitus aderat. Eapropter breviter adhuc rationes aliquot afferam, quas ostendant, tales disquisitiones præter supra iam allatum generalem usum specialem quoque aut privatum usum habere.

§. VI.

§. VI.

Et primo quidem iactantia esset, si obtinere & gloria-
ri velles, quasi in consuetis etiam aut s̄epe occurrentibus
morbis causas eorum & circumstantias aut symptomatibus cer-
to demonstrare scias; casus postea enarrandus hoc sufficien-
ter refutabit. Nam etsi hic non aderat rarus aut insuetus
morbis, causa antecedens occasionalis etiam indicabatur, ne-
mo tamen causam proximam hic latentem certo nuntiare,
aut tantum suspicari poterat. Et certe plures dantur eius-
modi casus, sed quid multis moror?

2) Solatio & tranquillitati tam medici quam familie
mortui aut effinium eius inservit cadaveris incisio, si & sibi
& his de insanabilitate morbi aut occulta eius causa eviden-
ter persuadere potest.

3) Artis medicæ tironibus culter anatomicus eam afferit
utilitatem, ut in casibus tam singularibus quam consuetis
oculares, ut ita dicam, & perspicuas notiones de sede, cau-
sis aut effectibus multorum morborum acquirant.

4) Quando adversa tempestatis constitutio, familie
cuidam propria diætae vitia, artium quarundam occupatio-
nes sanitati iniquæ &c. morborum alias raro occurrentium
& ad agnosendum difficultum cause sunt, dum incisiones
s̄epe significare non solum, sed & declarare nobis possunt,
quid in similibus casibus faciendum, quid expectandum sit.

§. VII.

§. VII.

Sed hæc sufficient ad probandum, sectionum pathologiarum utilitatem etiamnum constare; breviter tantummodo adhuc annotare volo, quod sub earum usu apta cautione opus sit, si ex eo, quod in cadavere videmus, causas morborum recte dijudicare volumus. Hæ enim sæpe non statim in conspectum veniunt, sed effectum tantummodo morbi adhuc animadvertisimus, e quo tamen intelligens & peritus medicus ad causam sæpe concludere potest, si præser-
tim historiæ morbi auxilio simul utitur, & in eo observata symptomata cum vitiis, quæ nunc in cadavere cernuntur, comparat. Quoniam igitur epicerisis in observationes anatomicas interdum omnino difficilis est, probe solliciteque cavendum erit, ne eandem nimis inconsiderate acceleremus & falsorum in medicina principiorum ansam præbeamus, uti quidem non semel factum est, & cuius errorum generis satis multa exempla historia medica exhibet. Huius momenti causa occasio arripi posset, de sectionum pathologiarum utilitate dubitandi, aut illas prorsus reiiciendi. Sed an abusus rei verum eius usum tollere potest?

§. VIII.

Neque etiam superfluam existimo admonitionem eruendi cupidis tradendam & inculcandam, ne ex nimio artis fervore modum excedant, sed eundem potius convenienter limitent, si forte incisiones cadaverum humanorum morbis

—

morbis" contagiosis extinxorum instituant. Et si enim non in omnibus eiusmodi morbis, qui contagiosi vocantur, resorptionis periculum metuendum sit, attamen satis multa cautione ac prudentia opus aggrediendum est, hoc pertinet: aër apertus recens, evitatio vulnerationis digitorum, observatione munditiae, præsertim in exploratione abdominis taliumque partium, in quibus contactus periculum in primis præsto est. Tristis enim experientia monstravit, plures cognitionis cupiditate ducti ex aptæ circumspectionis omissione studium & ardorem caro solvere debuisse pretio.

§. IX.

Tandem quoque me non præterit, dare morbos, in quibus culter anatomicus frustra adhibetur, ut huius ope sedem & causas eorum investigemus. Huius rei exempla præbent plures morbi ad systema nervosum, partium fluidarum vitia, &c. spectantes. In eiusmodi scilicet casibus magis contenti esse debemus phænomenis, quæ morbus offerebat, ut ex his ad morbi & mortis causam concludamus, quamquam & hic cadaveris dissectio remote tamen aliquid ad illius diiudicationis confirmationem conferre potest; si nimirum nullum manifestum vitium ullius visceris aut aliarum corporis humani partium conspicio, tum forsitan illa in morbo observata symptomata ad earum partium vitia me ducere possunt, quæ pro earum natura ac indole scrutatoris oculo se abscondunt.

B

§. X.

Sed transeat nunc etiam ad specialem nostræ com-
mentationis materiam, quæ antecedentium meditationum
ansam præbuit. Exoptata nimirum occasio mihi data est,
clinici pro pauperibus instituti curam gerere, in quo hu-
cusque laboravi in societate excellentis PLANERI, iam proh
dolor! præmatura morte nobis erepti, amici per omnem
meam vitam non obliviscendi, cuius curæ ac directioni in-
stitutum istud commissum erat, in quo legem quasi nobis im-
posuimus, in casibus raro occurrentibus, dubiis & memora-
bilibus incisiones cadaverum instituendi. Nec ullam certe
talem occasionem prætermitteremus, nisi amor supersticio-
sus & præjudicium ineptum propinquorum, aut mortem
celantium, aut sectionem prorsus recusantium, sæpius im-
pedimenta nobis obiicerent. Hic enim hoc nobis esset com-
modum, phænomena morborum cum vitiis sectione inven-
tis comparandi indeque rectius argumentandi, quam in in-
stitutis anatomicis publicis, ubi raro cadaverum illuc dela-
torum status prægressos cognovimus. Est igitur mihi in
animo, rarum & notabilem in modo laudato instituto clini-
co observatum casum enarrare, qui etsi non omnino habeat
novitatis meritum, quem Cl. LIEVTAVDIUS in sua historia
anatomico-medica similem quendam e propriis adversariis
annotaverit,* mihi tamen narratione dignus videtur, quum
in

* Vol. I. obs. 1261. Instituta dissectione cadaveris viri cu-
jusdam octogenario maioris, qui multis abhinc annis mi-
tione

II

in eo ad originis causam proprius accedere rectiusque inde argumentari possumus; atque ita morbi historiam quamvis imperfectam & interruptam præmittam, deinde id, quod per dissectionem inveni, proponam, tandemque in corollariis cum huius casus epicrisi commentationem finiam.

HISTORIA MORBI.

§. XI.

Mulier innupta 65 annorum auxilium nostrum quæribat d. 24. Mart. 1784. ob hæmorrhagiam uteri, cui involuntarium urina profluvium prægressum esset. Simul querebatur de dolore ardente in infimo ventris. Alvis dura erat tardaque. Postremam ob causam, ut & ob ægrotæ ætatem & quoniam neque verus hæmorrhagia fons nec eius causa indicabatur aut indicari poterat, curationis indicatio ad hæmorrhoides vesicæ tendebat, ideoque sequens potiuncula præscribebatur: Rx Tamarindor. unc. ij. solv. in aquæ ferment. unc. v. Col. D.S. bihorio cochlearia duo. Sed d. 27. ei. audiebamus, alvum esse obstructam prioraque symptoma perdurare. Accipiebat ægra Cremorem Tartari, cu-

B 2

ius

*Etione involuntaria, & molestissima, conflictabatur, in apri-
cum veniebat vesica contracta & callosa; vel ad quamvis
dilatationem inapta,*

ius usu, uti primo Aprilis nuntiabatur, alvus quidem libera facta, reliqua vero symptomata eadem manebant. Cum Cremore Tartari continuabatur, unacum fomentatione ex infuso florum Chamomillæ & Sambuci abdomini applicanda. Ex hoc tempore ulteriores de statu ægrotæ relationes omittebantur usque ad 18. Aug. 1785, quum in publicum receptioni pauperum destinatum ædificium recepta esset, cuius ægroti ab instituto nostro clinico dependent, & gratuito medicamentis instruuntur. Nostra igitur ægrotæ nunc conquerebatur de continuo involuntario urinæ stolicidio, cuius primam occasionem præbuerit lapsus ante sesquiannum circiter & quidem dorso onerato factus. Hæc vero circumstantia nullam tamen illustrationem super propiorem molesti huius mali causam nobis dare poterat, consequenter conjecturis tantum contenti esse & indicationes nostras illis accommodare coacti eramus, ut experiremur, num forsitan causa adeo occulta e medicamentorum effectu detegenda esset. Die igitur memorato illi porrigebatur potiuncula e drachm. ij. nitri depurati in aquæ simpl. unc. v. soluti & scrup. j. tincturæ Cantharidum composita & bihorio cochleatim sumenda. Quum enim vitiosam sphincteris vesicæ urinariae conditionem suspicaremur, quæ in nitria eius relaxatione consistere poterat, sperabamus, Cantharidum usum, quarum in vias urinarias efficacia nota est, hoc vitium correcturum esse. Verum excretio lotii inde quidem aucta, uti 27. ei. nuntiabatur, sed æque involuntaria, quam antea erat. Tincturæ Cantharid, scrupul. j, ægrotæ iterum ordinabatur, sed in

com-

— — —

73

combinatione cum unc. vij. Decocti e fol. uvæ ursi unc. di-
midia parati. Continuus urinæ defluxus nunc etiam causa
erat excoriationis partium adiacentium, cui malo cum Cera-
to Saturni occurrebat.

§. XII.

His vero remediis nulla quoque mali mutatione pro-
ducta, ægra medicamentorum usum iterum omittebat,
symptoma hoc molestum, quam diu adhuc vivebat, susti-
nens. Quum enim mense Septembbris eiusdem anni febris
remittens biliosa illam invaderet ideoque in Nosocomium
adduceretur, ubi curæ meæ subiecta erat, vitium hoc uno
tenore adhuc continuabat. Febre biliosa sublata denuo
quidem periculum faciebam, iubens ut regioni ossis sacri
emplastrum vesicatorium applicetur, ad aliquem stimulum
excitandum, si forte paralysis in causa esset; sed & hoc inu-
tile erat. E Nosocomio dimissa miseram vitam adhuc age-
bat usque ad Februar. anni 1786. Iam ex improviso in le-
cto mortua reperiebatur, antea nihil querens nisi virium
inopiam senectuti & egestati propriam. Fortuito accidit,
ut cadaver publicæ demonstrationis causa theatro anatomico
exhiberetur, in quo tandem nunquam tollendam mali cau-
sam ex insperato inveni, quemadmodum in sequenti articu-
lo enarrabo.

B 3

SECTIO

SECTIO CADAVERIS MULIEBRIS.

§. XIII.

De cavitate thoracis & crani taceo, quoniam partim ad rem inquirendam nihil conferunt, partim etiam nihil præternaturale ostendebant. Solius ergo abdominis cavi præcipuas, quas illo tempore annotavi, a statu naturali aberrationes, illas præprimis cystidis urinariæ proponam.

1) Habitus corporis externus erat macilentus.

2) Aperto abdomen & considerato mesenterio plures eius glandulæ tumidæ apparebant, quin earum nonnullæ in calculos diversæ magnitudinis mutatae erant.

3) Vesicula fellis satis ampla ac turgida marginem hepatis anteriorem superabat, & 24 calculos lapidea duritie & superficiebus politis instructos continebat.

4) Ren sinister dextro minor erat, pelvis vero renalis sinistra dextram amplitudine superabat, uti & ureter sinistri lateris valde dilatatus erat.

5) Vesica urinaria nec visu nec adhibito flatu detegenda erat. Loco enim vesicæ nil apparebat nisi massa membranacea densa & quasi callosa cum peritoneo super vesicam ad uterus eunte prorsus coalita; fatus ope tubuli per urethram inspiratus statim ureteres penetrabat, nec vesicam attollebat.

§. XIV.

§. XIV.

Hanc ob causam publica huius partis demonstratio imperfecta manebat; ego autem curiositate permotus illam privato & exactiori examini subieci. Licet incisio mea satis profunde in massam supra memoratam deorsum penetraret, lotii tamen receptaculum non attingebat. Massa callosa insertiones quoque ureterum circumdabat, ita ut illos salvis partibus amplius prosequi non poteram. Ut itaque ad cavum lotio transitum concedens pervenirem, ureteres prope insertionis locum incidebam, & hanc incisionem ope conductoris & scalpelli utrinque continuans cavum hoc modo apriebam, quod loco vesicæ aderat, & quod nihil aliud erat, quam cavi ureterum continuatio. Vrethra igitur, cuius orificium superius uti inferius patebat, unacum coarctato vesicæ cavo considerata, aut v. v., optime conferri poterat cum latina littera T.

COROLLARIA.

§. XV.

1) Hæc anatomica partium affectionum disquisitio monstrat, mali incurabilis causam hæsisse in vesica ob callositatem membranarum ad quamvis distensionem inepta & in impotentia fibrarum, quibus ostium vesicæ comprimitur, ut itaque lotium, uti in renibus secernebatur, continuo iterum per urethram stillare deberet.

2) Si

2) Si iam relatam vesicæ deformitatem cum prægressis in historia morbi memoratis phænomenis attente comparamus, necessario ex his concludendum erit, ab initio morbi adfuisse rupturam seu dilacerationem vesicæ urinariæ. Hanc adassertiōem comprobant tam causa, quam symptomata morbi. Causa enim erat lapsus violentus cum onere dorso imposito & verisimiliter etiam vesica plus minus lotio repleta; symptomata autem erant hæmorrhagia e vasis dilaceratis, involuntarius lotii effluxus e vesica functioni suæ non amplius idonea, & dolor ardens infirmi ventris fibras nunc denudatas & acri liquore, lotio nimirum, irrigatas afficiens & ex inflammatione superveniente proveniens.

3) Mirandus oīnnino est modus, quo natura in coniungendis partibus solutis utitur; in hoc tamen casu reunio-
nis rationem quodammodo capere possumus, quam mihi
hoc modo explicabo: statim post rupturam vesicæ urinariæ
intestina vicina spatiū nunc vacuum iterum occupabant si-
mulque ponderis ope vesicam comprimebant, adeo ut mar-
gines dilacerati se mutuo quamvis imperfecte attingerent,
ita tamen ut lotio & sanguini in cavum abdominis diffusis
via per urethram pateret, inde profluvium urinæ involun-
tarium & hæmorrhagia, non uteri, uti ab initio indicaba-
tur, sed vesicæ vulnerataæ.

4) Pars vulnerata pro ratione irritabilitatis & sensibi-
litatis suæ semper experitur leviorem vel vehementiorem
inflammationem, cuius symptomata sunt calor, dolor & tu-
mor; iam vero irritabilitas & sensibilitas vesicæ urinariæ fa-
tis

— — —

17

tis nota est, non igitur fieri non poterat, quin etiam huic parti taliter affectæ inflammatio superveniret, quæ non solum cavi vesicæ, sed etiam partis peritonei super vesicam ad uterum euntis plenariam coalitionem effecit, qualem in aliis partibus antea inflammatis, e. gr. pleuræ cum pulmonibus, sàpissime in cadaveribus animadvertis, & quæ præcipue lymphæ coagulabili vaporis sub forma in cavitatis secretæ adscribenda est. Inde igitur coarctatio & densitas membranarum vesicæ, cuius inferior pars exiguum tantummodo cavum reliquerat, quod a continuo lotii per ureteres affluxu apertum tenebatur.

5) Ex dilaceratione membranarum vesicæ urinariæ facile nunc etiam explicandum erit continui urinæ stolidicidii spurcum symptom: vesicæ sic dictus sphincter ob fibrarum muscularium rupturam fulcrum suum, ideoque & sese contrahendi collumque vesicæ comprimenti facultatem amiserat, quamobrem lotium, uti in renibus secretum & per ureteres instillatum erat, viam apertam inveniebat, ut continue guttatum per urethram emitteretur. Vrteris sinistri maior amplitudo fortasse inde oriri poterat, quod fibræ musculares vesicæ huius lateris magis afficerentur, ideoque spasmodeice contractæ lotium aliquamdiu commorarentur.

6) Quotquot etiam observationes de ruptura aliorum viscerum, speciatim membranaceorum, ut ventriculi, intestinorum, cystidis felleæ &c. litteris mandatae sint, illam tam vesicæ urinariæ in nullo adhuc casu descriptam inveni,

C propter-

propterea certe, quoniam rarius accidit. An enim casus ille
 e Cl. LIEVTAVDII divite observationum anatomicarum supel-
 lectili adductus talis cause effectus fuerit, non praeceps determinari potest. Eiusmodi dilacerationum viscerum mem-
 branaceorum cause ut plurimum erant, praeter violentiam externam, interna tencritas eorum seu infirma particularum cohæsio, aut quod singulae membranae vel earum partes in vivis corporibus adeo attenuarentur, ut exigua tantum vis ad illarum dissolutionem requireretur. Quod igitur attinet ad præsentem casum, non sine ratione suspicor, illam ten-
 ritatem dilacerationis vesicæ causam remotam subministra-
 se, quoniam partium terrearum abundantia, nimirum calculi vesicæ felleæ & glandulæ mesenterii induratae, in cadave-
 re deprehendebatur, & præterea etiam in corporibus senio confectis partes terreæ semper prævalere solent, quibus co-
 hæsionis vis imminuit atque debilitatur. Quum itaque in nostro casu conditiones hæ concurrant, eo magis etiam la-
 psus violenti ope talis effectus locum invenire potest.

7) Tandem quoque hæ observatio viam ostendere potest tam ad diagnosis quam prognosis huius mali, scilicet rupturæ vesicæ urinariæ. Diagnosis disquisitione accurata causarum atque symptomatum, ut & aliarum circumstantiarum illos comitantium, quæ omnia in relata morbi historia quantum possibile clare proponere studui, allevabitur. Ad Prognosin vero quod attinet, hicce casus nos docet, LOMMI effatum de vesicæ vulneratione non universaliter admittendum esse, quum dicit: "ex vulnere urina fertur, aut certe

pro

pro urina sanguis meiatur; accedit vomitio bilis, singultus, delirium, & horum sequax comes mors." Hic enim sine artis adiumento vulnus vesicæ iterum consolidaverat natura medicatrix, sine qua conatus medici ad mali medelam parum contr buere valebit, morbi tamen cognitio eum saltem diriget, ut omnia, quæ consolidationem impedire aut gravare possent, removeat, operamque dabit, ne noceat, si prodesse forsitan nequeat.


Sed hæc hastenit. Restat nunc, ut munieris clementissime mihi demandati mentionem faciam, cuius occasione commentationem hanc elaboravī: **Eminentissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus, DOMINVS FRIDERICVS CAROLVS IOSEPHVS, S. Sedis Moguntinae Archiepiscopus, S. Romani Imper. per Germ. Archicancellarius, Princeps ac Episcopus Wormatiensis, Dominus noster Gratiissimus**, pro summa, qua emnes, qui operam & studium in litteris collocant earumque utilitatem communem promovere student, complextitur indulgentia, me Professoris Med. publ. extraordinarii manere fungi iussit, pro quo summo beneficio mihi tributo submississimas persolvo grates, & Deum ter optimum maximum precibus adoro supplicibus & ardentissimis, ut *Principem Indulgentissimum* maxima quavis felicitate exornare velit, ita ut *Pater patris clementissimus* optima semper & inconcussa valetudine fructetur, regimen *Illius* faustissimum sit, & sub *Eius* indulgentissimo regimine tam res publica quam litteraria magis magisque crescat & latissime floreat.

C 2


Gratam

Gratam quoque acceptamque habere velit submissam
 meam gratiarum actionem Reverendissimus ac Illustrissimus
 Dominus, DOMINVS CAROLVS THEODORVS AN-
 TONIVS LIB. BAR. DE DAHLBERG, Archiepiscopus
Tarsensis, Coadiutor Moguntinus, Wormatiensis & Constan-
tiensis, nec non Civitatis ac Territorii Erfordiensis Pro-
princeps, Dominus noster Clementissimus, pro Cuius
vita & incolumente ardenterissima nuncupo vota, supremum
rebusque humanis propitium Numen implorans, ut Ipsi
vitam longevam, consiliorum ex publico commendo captan-
dorum prosperrimos eventus, & rerum privatarum felicita-
tem, novo in dies cumulo augendam, benignissime con-
cedat.

Vos denique, Commititones suavissimi! ut pralectio-
 nibus meis, corporis humani cognitionem anatomicam,
 scientiae nostrae fundamentum fulcrumque, spectantibus, ea-
 dem qua haec tenus diligentia & imposterum interesse veli-
 tis, mihique semper faveatis, humanissime rogo. Dabam
 Erfordiae d. VI. Februar. MDCCXC.



PICA K018



26

2

DE

IN VOLVNTARIO ET CONTI- NVO LOTII STILLICIDIO, PECVLIAREM OB CAVSAM NOTABILI,

OBSERVATIO ANATOMICO-PRACTICA,

QVA SIMVL

NOBILISSIMOS DOMINOS CO

AD AVDIENDAS DEMONSTRATIO

OFFICIOSKE INVITA

IOANNES GOTTLIEB

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD. ET
PROSECTOR.



ERFORDIAE.

EX OFFICINA HENR. RVD. NONNI

MDCCLXXX.

